



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.



1782.

1. Mantzel, Em. To. Riv: Programma, quo ad  
solenmni doctoralia Johanni Trachzio Beselii  
iuritat.
2. Mantzel, Em. To. Riv: De duabus vel tribus  
viris honestis in hypothecis, intimationibus  
et appellationibus subsidiariis attributis
3. Mantzel, Em. To. Riv: De ratione status juris  
Tabaccensis
4. Mantzel, Em. To. Trorer: De fideicommissi fami-  
liarum qualitate feudo superaddita.
5. Pries, Trach. Mus: De indole orationum  
ad captum vulgi.
6. Anstorprius, To. Tacubus: De conciliata cum  
perfectione ac immaculabilitate religionis nata.  
valis existentia revelationis immediatae procepi-  
torum hanc propriorum
7. Selen, Erasm. Henricus, a: De jejuniis sabba-  
thiis.

1783

1. Becker, Erasm. Henricus: Monita quaedam ad non  
nulla revelationis recentibus formata criteria.

1743.

2. Mantzel, Im. Joh. Frid: Programm, quo solennia doctrinae Caroli Ludovici Muellerei indicit
3. Mantzel, Im. Joh. Frid: De dissimulatione maritatis
4. Mantzel, Im. Joh. Frid: In crimine Mecklenburgicum
5. Mayohel, Frach. Ludolph: Divergentia ontologica, qua veritate: quod ens simplex similitudinem remota assistentia haud involvat contradi-  
ctionem . . . Demonstratiois de angelorum corpore proprio . . . apponit.
6. Quistorpius, Bernh. Frid. Verze: De actu voluntatis divinae ejusque necessitate libertati Dei haec insinuat.
7. Schmidt, Joh. Petrus: De viginti bus baris
8. Schmidt, Joh. Petrus: De obligatione patris ad totam  
des filias.

1744.

1. Hepricus, Angelicus, Tit. Van: De vulgariis  
apud oscurum usu p. v. tico.
2. Hering, Mathias Bleum: De iudice ecclesiastico  
secundum tit. 5 Ordinationis Consistorialis hege.  
protestanti, et Ghyentham nuntius, den in genere,  
quam in specie minime obligato.
3. Mantzel, Em. Fr. Fried: De limitibus art. 48 Coll.  
art. 17 part. 4 statut. Hamburg., qua p. v. tico in  
castigatione excedentium.
4. Mantzel, Em. Fr. Fried: De impedimentis generali.  
p. v. tico qua officia publica d. ord. ju. d. Jul.  
Pr. Meckl. et. jus sub.
5. Mantzel, Em. Fr. Fried: De iure ex usu  
in matrimoniale Mecklen.
6. Mantzel, Em. Fr. Fried: In matrimoniale Mecklen  
burgicum
7. Mantzel, Em. Fr. Fried: De levamine singulari  
inapne debitorum, jure Hamburgensi introducto  
et. b. d. 1 p. c. v. tico die Fulliten Ordnung. d. 4. 1647.

1. 1744,

2. 8. Roemberg, Bernhardus Hucusque : De causa gravitate  
ac motus planetarum in systemate nostro solar

3.

4.

5.

6.

7.



vi' La  
solae







PROGRAMMA.

NOMINE TOTIUS COLLEGII JURIDICI,  
PRAESIDENTIUM, PRAEF. DOCTISSIMI  
DOMINI

JOHANNIS JOACHIMI  
Beschleun,

DYOBVS VLL. ENIBVS VIRIS, IN  
HYPOTHECIS, INTIMATIONIBVS ET  
APPELLATIONIBVS ADHIBENDIS.

ANNO MDCCLXIII DIE XVII JULII.  
HABENDI  
EST NOTIAM QUESTIONEM  
NUM HISTORIA LITTERARIA ET LIBRORVM  
MOTHA NON SIBI INDIGEANT, QUI SCIENTIAS  
DEMONSTRATIVE TRACTANT.

ET SIBI SIBI  
MOTHA NON SIBI INDIGEANT, QUI SCIENTIAS  
DEMONSTRATIVE TRACTANT.

D. ERN. ERID. *Mandel*  
KOSTOCHII, STANNO AULLERIANU.





17.  
Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA;  
DE

RATIONE STATUS  
IURIS LVBECENSIS, 1742.3.

QVAM,  
AVSPICIIIS SVPREMI NVMINIS,  
ET  
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,  
IN CELEBERRIMA IVXTA VARNVM ACADEMIA,  
PRÆSIDE

DN. ERN. IO. FRID. ~~W~~angel,

PHILOS. ET IUR. DOCT. ET PROF. ORD. ATQVE  
AD H. A. DECANO,  
FAVTORE SVO IN PRIMIS COLENDO,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN VTROVQVE IVRE HONORES

CONSEQVENDI,

A. R. S. MDCCXXXII. DIE XVII. IULII. 1742.  
PVBLICE VENTILANDAM PROPONET

M. IOACHIMVS MATTHIAS Gütken,  
LVBECENSIS.

ROSTOCHII,

TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SERENISS. PRINC.  
ET ACAD. TYPOGRAPHI.





## PROOEMIUM.



ogitanti mihi de themate, ad disputa-  
tionem iuridicam apto, volventique  
Ius, ex quo illud defumere con-  
stitueram, patrium, inciderunt in  
manus & oculos verba Consumma-  
tissimi Iureconfulti, B. Dav. MEVII,  
ea nimirum, quibus usus est in *prae-*  
*liminaribus Commentarii illustris ad Ius il-*  
*lud celebratissimum Lubecense qu. I. n. 24. f.*

Non minus autem libertati & commerciis, quam Iuri, „  
vinculo publicae privataeque salutis, semper operam de- „  
disse id volumen, quod sub Iuris Lubecensis titulo in lu- „  
cem prodit, testatur. Legumlatione ista suae laudi plus „  
adiecerit Civitas, an utilitati, in dubio relinquit. Peculia- „  
ria locorum Statuta non utilia saltem, sed necessaria esse „  
ex *VERA STATUS RATIONE*, quae salus publica est, „  
convincimur: Diversitas quippe hominum ingeniorum mo- „  
rum, facultatum, commerciorum, vitae generis, imo loco- „  
rum ipsorum exigit, ut non secus ac ista civitates, earum „  
que formae & accidentia discrepant, iura ipsa distinguan- „  
tur.

A

tur.

„ tur, & unaquæque suis usibus constantem ubique natura  
 „ lem legem per civiles constitutiones applicet. Ut nec o  
 „ mnibus pedibus idem calceus, ita nec omni Universalitas  
 „ eadem lura congruunt. Id inclytam Lubecam movit, ho  
 „ nestos & legitimos mores suos in Iura convertere, & specia  
 „ libus legibus libertati regimen, iudiciis normam, fidei ner  
 „ vum ordinare. „ Omnia eo tendunt, veram Status Ratio  
 „ nem a Iurium conditoribus & interpretibus non esse negligenda  
 „ dam. Applaudo illis merito, & credo, Illustrem hunc Com  
 „ mentatorem Rationem Status sibi sepius ab oculos posuisse,  
 „ ideoque potius excusandum, quam accusandum, si pro ratio  
 „ ne temporis, quo vixit, illam non ubique sit assecutus.  
 „ Vid. *Illustris nunc Cancellarii DN. DE WESPHALEN diff. Rostochiensis de origine & fontibus Iuris Lubecens.* § 5. p. 7. f., §. 7. p. 11.  
 „ §. 13. p. 68., & qui eam solerter investigavit. Con  
 „ sult. DN. D. *SEEM*, in der Vorrede zum ersten Theil der  
 „ gründlichen Abhandlung des Lübschen Rechts p. 8. f. Neque  
 „ dubito, Lector benevole! quin eandem mecum foveas sen  
 „ tentiam; cum per veram Status Rationem denotetur singu  
 „ laris prudentia politica, inprimis legislatoria. Quam, licet  
 „ alii generatim, alii speciatim de Statutis Lubecensibus com  
 „ probaverint, operæ tamen pretium futurum esse putavi, etiam  
 „ nonnulla litteris consignare cogitata, quæ huic materiæ illu  
 „ strandæ inserviunt. Illa igitur cum in vulgus edere in ani  
 „ mum induxerim, ex quo illustres huius Academiae Anteces  
 „ sores mihi facultatem concesserunt inauguralem habendi di  
 „ sputationem: facile perspicias, cur inscriptionem *de Ratione*  
 „ *Status Iuris Lubecensis* elegerim, & quid illa sibi velit. Itaque cum  
 „ non tantum ab aliis, quos allegavi, copiosius deducta in com  
 „ pendio exhibeantur, sed interdum etiam emendentur,  
 „ atque augeantur: spero etiam fore, ut institutum  
 „ tibi probetur. Vale atque fave.

TRA.

## TRACTATIO.

**D**iversas diverforum de Ratione Status descriptiones recenset Auctor fragmentorum de Ratione Status diu desideratorum, editorumque anno 1667. in 4, quem celeberrimum Ictum, *Godofredum de IENA* esse, constat. Nonnullas tantum illarum ex disertatione tertia hic adducemus.

*Ratio Status, igitur, est vel modus quilibet administrandi Rempubl-  
cam, vel secretior, & speciale extraordinariumque aliquid con-  
tinens. Pariter & haec legitur: Ratio Status est supremum quod-  
dam Ius, seu Privilegium, bono publico introductum, contra Ius  
commune, seu ordinarium, sed tamen a lege divina non alienum.*  
Postea occurrit etiam talis: *Ratio Status est certus quidam po-  
liticus respectus, ad quem, tanquam ad normam, seu cynosuram  
omnia consilia, omnesque actiones in Republica diriguntur, ut eo  
felicius & expeditius summum finem, qui est salus & incremen-  
tum Reipublicae consequantur. Omnis sobriorum & piorum  
Politicorum opera in eo versatur, ne degeneret Ratio Sta-  
tus in tyrannidem, oligarchiam, ochlocratiam, & alia vi-  
tia statistica, quae dominationum flagitia, idola Principum,  
Imperatorumque sophismata sueverunt appellari. Cum primis si omnia ad definitionem B. de Iena, attem-  
perantur: nullum Reipublicae nascetur incommodum. Ita vero ille in substantialibus: Ratio Status est modus qui-  
dam politicus & arcanus, legibus divinis moralibus consonus, ne-  
que Iuri naturali, gentiumque, neque pietati, iustitiae, aequitati,  
fidei, vel honestati contrarius, quo summi Moderatores &  
Administratores Rerumpublicarum, ob egregii publici respectum,*

ex necessitate & utilitate prudenter & apte utuntur. Satis indi-  
 cant omnia civile quoddam temperamentum, publicum  
 & commune respiciens bonum. Hac ratione carere pla-  
 ne possumus distinctione, quae a multis fieri solet, in  
 Rationem Status veram atque falsam; Cum hac enim nihil  
 rei nobis est: illa vero, ut *Ludovicus SEPTALIUS de Ra-  
 tione Status in praefatione p. 4.* scribit, in rectis Rebus publicis  
 se semper cum legibus coniungit, unaque cum prudentia poli-  
 tica pari semper incedit passu: atque haec & illa inter se con-  
 sentientes perfectam efficiunt harmoniam; ambae simul iusto &  
 honesto intentae, & ad felicitatem aequaliter illius, qui obtemperat  
 & qui imperat, respicientes. Interea si quis falsam Status Ratio-  
 nem cupiat pernoscere, legat tantum Machiavelli Principem.  
 In dubio autem relinquimus, utrum ipse illam approbaverit,  
 an patefacere voluerit, qualem suo tempore secuti sint  
 Principes Italiae plurimi. E contrario perniciem, quae  
 falsa ex status Ratione fuit, non solum nuper detexit feli-  
 cissime, sed veram etiam optime proposuit Auctor opti-  
 mus maximus Antimachiavelli, gallica lingua conscri-  
 pti. Nos igitur ad hanc tantum respicimus, cuius con-  
 ceptum tam late volumus extensum, ut in genere signi-  
 ficet Politicam, quae scientia est dirigendi liberas homi-  
 num actiones in Republica, in specie vero ex illa doctri-  
 nam de ferendis prudenter Civitati legibus. Non enim  
 in quovis annotato momento quoddam palpandum erit  
 arcanum, aut rarissimum fingulare, sed passim etiam  
 prudentiam quandam legislativam in censum referemus,  
 in primis talem, quae licet quoque in aliis multis, vel  
 quibusdam Iuribus obvia sit Germanicis, in Romano ta-  
 men non deprehenditur. Maxime, autem redibit tra-  
 ctatio ad hoc punctum, ut Lubeca magis magisque flore-  
 at & inclarescat, quo ad ineundum cum eiusdem civi-  
 bus commercium invitentur alii & alliciantur. Si dixeris,  
 nullam esse in orbe Rempubicam, vel Civitatem, quae  
 non



non vellet florere & inclarescere, quaeve nollet, ut commercio cum aliis fieret locupletior & celebrior; nos habemus, quod ad instituti nostri insinuationem volumus. Non enim in dubium vocamus, illud votum, eamque mentem sedere omnibus, regionis & provinciae cuiusvis, incolis: Quamdiu autem Reipublicae Moderatores subsistunt in meris principiis universalibus & vulgaribus; dici haud potest, quod admiranda quaedam excolatur Ratio status, vel quod spes praerogativae possit concipi atque ali. Si quis enim, eundo per inductionem, animadvertat ad Respublicas, vel singulariter, vel mediocriter vel plane non florentes: ille dare poterit, ex approbata ab illis peculiari Status ratione, rationem floris, vel contra. Sic de Lubeca docet ocularis inspectio, quod per multa statuta singularia, imprimis a Iure Romano diversa, floreat maxime, Nam una vel altera dispositio singularis ex Ratione Status non conficit rem, vel scopum obtineri facit; multae tamen iunctim sumtae promovent. Hinc si exempli gratia Respublica quaedam sola promptitudine iustitiae innotesceret, deficerent tamen aliae, res ad salutem publicam necessariae, vix praelationis ullius obtineretur gradus: non secus ac de privatis in aperto est, quod nempe una vel altera virtus eisdem non reddat aliis multo feliciores. Ut autem omnia, quae de Ratione status iuris Lubecensis in medium afferemus, distinctius considerentur: placet per assertiones successivas causam expedit.

### ASSERTIO I.

Prudentia legislatoria, rationem esse legum animam, sancte statuit.

Ratio enim legis est illud, ex quo ea concipitur. Qua de causa, nisi quis ad legis rationem attendat, legem nunquam distincte

A 1

distincte cognoscet. Cum vero saepe unius legis plures allegari possint rationes, illa potissimum erit indaganda & amplectenda, cuius ope omnia, quae in lege occurrunt, redduntur maxime perspicua. Qualis ratio cum fit sufficiens: legis demum anima meretur appellari. Male igitur sentiunt, qui legis tantum verbis inhaerendum esse arbitrantur, & in eius rationem inquirere supervacaneum ducunt, propterea quod Legislator illam raro detegere solet. Corticem videntur sectari, nucleum autem negligere. Mirum igitur non est impingi ab illis nonnunquam, quando lex ad factum debet applicari. Nam facile aliquid eo pertrahi potest, quod ratione legis excluditur, vel aliud removeri a lege, quod eius admittit ratio. Hinc pulchre *Dn. D. KREFFTING de Interpretatione Statutorum p. 28. Quem ad modum legis in genere anima est ratio ipsius: ita quoque in specie Statutorum & Iurium municipalium anima ratio eorundem dicenda est, ideoque potius mens & ratio sunt attendendae, quam verba cet.*

## ASSERTIO II.

Rationes legum sunt vel simplices, vel hypotheticae.

- I. Pro diversitate scilicet principiorum, quae in legibus supponuntur. Sunt enim ea vel simplicia, vel hypothetica. Illa etiam dicuntur naturalia, haec politica. Illis annuero: pacta sunt servanda; nemo est laedendus; his: pacta nuda non sunt servanda de iure Civili.
- II. Nolumus implicari litibus de differentia Iuris Naturae & Gentium. Multis enim illae sunt obnoxiae logomachiis, quoniam circa definitiones, & complexus quilibet suo abundat sensu. In eo omnes convenire debent, quod quaedam veritates morales sint adeo perpetuae, ut, positae etiam pluri-

pluribus mundis, vel unâ existentibus, vel pro arbitrio DEI omnipotentis successivis, ubique & semper deberent esse eadem. Quo felicius hae dicuntur principia nobiscum nata, eo certius est, quod rationes habeant simplicissimas. Quae illis accesserunt veritates, hypotheticae, & ex quadam necessitate introductae atque receptae solent appellari. Posita nimirum a posteriori, pro hoc rerum statu, necessitate, non possunt non variae emergere conclusiones. Respiciunt igitur omnes eiusmodi assertiones: ad conditionem hominum, qualis nunc est, & ad distinctionem, sublata communione, dominiorum.

### ASSERTIO III.

Ratio hypothetica supponit quandam veritatem civilem, quae non amplius patitur petitionem principii.

Civile dicimus omne illud, quod aliquod spirat artificium prudentum Reipublicae Moderatorum. Ius enim civile est, quod quilibet Legislatores, suppositis & intemeratis veritatibus universalibus, suae Reipublicae accommodavit. Sic modos acquirendi distinguere solemus in illos, qui sunt Iuris Naturae & Gentium, & qui sunt Iuris civilis. Ad hos acquisitiones per ultimas voluntates pertinent, ideoque mere civiles appellantur.

### ASSERTIO IIII.

Ratio hypothetica est vel omnium Gentium & Reipublicarum, vel unius alteriusve Gentis & Reipublicae.

Rationes naturales omnibus omnino Gentibus sunt familiares: arque communes, sique illas diceret *Welt-Wahrheiten*, non

non peccares. Dantur etiam quaedam veritates communio-  
res, quas pariter vix in una, vel altera Republica admira-  
mur, verbi gratia, de praescriptionibus. Solae igitur Or-  
dinationes specialiores ingrediuntur considerationem,  
quamvis multae illarum, salvis determinationibus speci-  
alissimis, etiam alibi occurrant.

### ASSERTIO V.

Ratio hypothetica unius alteriusve Gentis  
vel Reipublicae, dicitur Ratio Status in specie.

Leges ex Ratione Status latae primo & vulgari intuitu non-  
nunquam videntur durae, imo irrationabiles. Verum,  
quia Principes & Populi habent potestatem Ius Naturae  
legibus civilibus restringendi, c. l. 6. ff. de I. & I.;  
penitus omnia iustrantibus satis se commendant. Leges  
enim civiles non possunt abesse; Habent nimirum, ut uti-  
tamur verbis *Illustris BOEHMERI, de Prudentia legislatoria*  
*Iuris Lubecensis in materia de successione testamentaria p. 7. sin-*  
*gulae Civitates certum quendam finem & fundamentum, in quo*  
*totum salus Reipublicae sita est.* Qua de causa lex civilis Ius  
Naturae necessario interdum restringit, interdum laxat.  
Est enim ea quae tendit ad conservandam & promovendam  
societatem civilem.

### ASSERTIO. VI.

Quoties Ictus dicitur; Reipublicae in-  
terest, toties ad Rationem status respicit.

Quis est, qui negaret, in quavis lege, etiam simplicissima,  
& ex ratione aeterna & universali desumpta, versari In-  
teresse Reipublicae?

ASSER-

*ASSERTIO VII.*

ICTus, in genere talis, dicens: Reipublicae interest, versatur in talibus assertis, sine quibus omnis Respublica destitueretur prudenti moderamine & gubernatione.

*ASSERTIO VIII.*

ICTus in speciali & Patrio Iure versans, dicensque: Reipublicae interest, talia respicit, quae haec Respublica vel cum nullis, vel cum nonnullis tantum habet communia.

- I. Non quidem omnes positiones ad hunc cumulum referendae: in sequentibus tamen selectae sunt Iuris Lubecensis differentiae a Iure communiori plurimae.
- II. Quoties occurrunt leges diversae, qua determinationes speciales, non statim animus abiiciendus est, ex voto illorum, qui inde ansam calumniandi capere solent. Datur quidem veritas iuridica, & quidem una: id quod *disseratio Bergero - Leyseriana de Logomachii in Iure* satis vindicavit: soepe tamen dicendum esse constat: ne sic quibdam male. Varias enim dantur quaestiones, quae pronis ab intestato materia.
- III. Si nos convertamus ad Respublicas Graecas, multa observabimus singularia, quae tamen bene conspirant ad Rationem status. Omnium extantissimum exemplum praebet famosissimus ille Ostracismus, quem speciali tractatione adumbravit **LACOBVS THOMASIVS.** Incommo-  
dum

B

dum unius, alteriusve civis, modo promoveat salutem publicam, non attenditur c. IO. IHRE de collisione utilitatis publicae atque privatae §. 2. add. SCHVLTZII diff. Gedan. de sacrificiis s. victimis status, Cap. 2. §. 1. Eiusd. diff. de Martyrio politico, C. I. B. LVDVVELVS de Successione Lubecensium huc collimat §. 5. de auctoribus Iuris Lubecensis scribens: commerciorum vigore illis nil prius erat atque antiquius. Quid uni vel alteri privatorum damni forte inferretur, intuitu publicae salutis, parvi fecerunt. Hinc posthabitis liberorum, feminarumque commodis, statuta, quae fidem servarent, commercia promoverent, condiderunt.

III. Aristoteles iam inculcavit, non Respublicas legibus, fed leges Rebus publicis esse accommodandas, Quocum non idem jus omni convenire Civitati, omnes Politici adhuc profitentur. Hinc adeo variantia Iura provincialia & municipalia.

### ASSERTIO IX.

Ratio Status igitur est vel universalis, vel specialis, vel specialissima.

I. Lubecae nonnulla valent statuta, ex speciali & specialissima Status Ratione petita, quae gravi solent subici censuræ. Notissima sunt varia scommata, quae ideo repetere nolumus. v. CAROCC. Anleitung zur Historie der Lübschen Richte, p. 16. & apte illa vindicantem *Andream LANGIVM* in diff. sub praesidio. D. GOETZII habita de aequitate Iuris Lubecensis. Add. omnino M. BOEHMER. diff. citata de prudentia legislativa Iuris Lubecensis. Censores illi rigidiores ut plurimum sunt Status Reipublicae ignari, ex quo Statuta eiusmodi defendi posse iam annotavit *MEVIVS* Comm. I. L. quaest. praet. 1. n. 55. s. ita differens: quaedam specialis consuetudo, aut statuentium voluntas recepit, diu-  
tius usus confirmavit. Horum rigor in nonnullis Iuris arti-  
culis

culis a multis accusatur cet. Non tamen desunt iustae causae, unde fatis defendatur, quas Status Reipublicae suppeditat. Ex hoc legum rationes potius examinandae sunt, quam ex communibus regulis, quae in tanta hominum & Civitatum diversitate non ubique eodem modo se applicari patiuntur. Ut non leviozem errorem illos errare existimem, qui ex Iuris Civilis rationibus statutorum aequitatem examinant, quam qui ad eandem formam cuiuslibet aetati, sexui & corpori crepidas, calceosque cet. Status igitur Reipublicae cum ignoretur eadem fata sustinere debet. Ius Lubecense, qualia penes Exegetas, historiae inscios, solet experiri Ius Romanum, quod nostro aevo per studium historiae & antiquitatum tantam nactum est lucem, ut multi veterum Interpretum, si reviviscerent, admirarentur novas frondes & poma tunc ignota.

II. Eleganter DN. Director NETTELBLADT de Fontibus Iuris Lubecensis C. I. §. 2. ita: licet hinc illinc nonnulla occurrant in Iure Lubecensi diviuscula; haec tamen vel commodam interpretationem admittunt, vel ratione utilitatis, & securitatis commerciorum, ac salutis publicae, quae suprema lex est, facile excusantur.

III. Optime in Praefatione Iuris Lubecensis renovati scribit eius Auctor: Und ob wohl darinnen etliche specialia cet. welche von den beschriebenen Rechten discrepiren, und dem Leser zu geschwinde und scharf zu seyn, bedencken machen möchten cet. Provocat ad praxin viridem, & de legis durae indole differit, pergitque. Wie dann auch an sich selbst wahr und richtig, wenn die Ursache dieser geschwinden Statuten beleuchtet und erwogen werden: so seind derselben Rationes vornemlichen daher genommen, weil diese Stadt Lübeck eine Rauffmannnstadt, auf Handel und Wandel gewidmet ist, dabey Treu und Glauben seyn muß, daß die ersten und alten Conditores Statutorum darauf gesehen, daß mit Treu und Glauben gehalten, und weil viel besser sey, daß

Privatpersonen, sonderlichen aber die Frauen an ihren Gut und Patrimonio etwas Schaden leiden, dann daß der Glaube in Kaufhandeln geschwächet, oder gar bey dieser Stadt zu derselben Unheil und Untergang fallen solle. cet. Wie denn auch wohl bey andern Reichsstäten Statuta exorbitantia a Iure scripto nach Gelegenheit ihrer Gemeinden, und der Lande, darinn sie liegen, befunden, und darinn nicht zu handeln seyn.

### ASSERTIO X.

Rationem Status specialem & specialissimam novisse decet Ictum, Practicum Interpretem; emergit enim inde analogia Iuris.

- L. Turpe est Patricio & Nobili & causas oranti Ius, in quo versatur, ignorare l. 2. §. 43. ff. de O. I. Qua de causa querelae sunt institutae plurimae, quod olim filii Germanorum cum ad exteras abirent Academiae, nescirent Ius patrium, cum redirent, novitatis & peregrinorum studio, nauferent idem.

Quid sit analogia Iuris paucis non potest explicari. Ius Romanorum ex diversis principiis temporibusque, & per diversos viros confarcinatum, satis testatur, quam male cohaereat systema: Ius vero Lubecense neque sibi ipsi adeo contrariari videtur, neque Statutis vicinis. Hinc si quando interpretatione indigeat, non statim recurrendum esse censemus ad subsidium Iuris Romani, sed ad analogiam & vicina statuta illarum nempe Rerumpublicarum, quae eandem colunt Rationem Status. Consentit SIBRANDUS, *Iur. Publ. Urbis Lubecae P. I. Sect. 9. n. 21.* Si pro diversitate casuum, in locis hisce maritimis varie emergentium, in praefatis Iuribus minime decisa, ac dubia controversia fuerit exorta, eo casu dextre admittimus allegationem



onem alterius Statuti, sive Hamburgensium, sive aliarum Civitatum vicinarum, earum tamen, quae ad nostros mores, nostraeque Reipublicae formam quam proxime accedunt. Neque ipse MEVIUS *quaest. praelim.* 10. §. 28. ab hac sententia plane est alienus, ita scribens; *ex simili materia soepe dependet bona interpretatio. Sed occurrunt nonnunquam ex Iure communi, aliquando ex statutis, quae obiecto assimilari possunt. Tunc argumentum citius sumendum ex simili statuto, quam quod ex Iure communi deponitur.*

### ASSERTIO XI.

Ratio Status mutationibus est obnoxia.

Mutantur tempora & genius seculi varios induit colores & habitus. B. HOFFMANN. *de Iuris Lubecensis antiquo quodam Codice, scribit rectissime: Publici Status conversionibus non possunt non legum & Iurium produci mutationes.* Quum anno 1586. Statuta Lubecensia in illam, qua nunc gaudent, redigerentur formam, annotabant Auctores mutationes, ceu impedimenta revisionis. Respiciebatur etiam ad temporum diversitates, & ut utamur verbis Hoffmannianis, non pauca capita ad recentiorum temporum mores & in primis Iuris Romani placita fuerunt inclinata. Huc pertinent verba praefationis: *Was datinnen antiqvirt, und sich der Zeit halben nicht wohl leiden wollen, abgethan.* Viros, quibus Lubecense hodiernum conscripserunt, Iuri Romano fuisse deditos, eius rei ubique apparent vestigia, praesertim etiam in latinis inscriptionibus. Utrum Ius Lubecense re- visum potuerit, in locum antiquitus per Privilegia Principum concessi, succedere, quaestio est ab hac sphaera aliena; illustris tamen & gravissima.

### ASSERTIO XII.

Ictus, in Iure Lubecensi versans, intelliget,  
B. 3. quod

quod Ratio Status Iuris Lubeensis praecipue consistat in conservando & augendo a) florem commerciorum, b) fidem civium c) Reipublicae auctoritatem, d) famam promptissimae administrationis iustitiae, & e) splendorem familiarum.

I. Cum in Sacro Imperio Romano-Germanico Civitates sint vel immediatae & liberae, vel Principibus subiectae: de Lubeca constat, quod in primis dudum Civitas fuerit Imperialis immediata & libera, cuius libertatem & privilegia etiam sanguine & gladio esse acquisita testatur CRANTZ. *Vandal. l. VII. c. 9.* Carolus IV. Imperator, illam ingressus, plurimum se laetari asseveravit de biga splendidissimarum ad fines Imperii exstructarum urbium, quarum altera Romana, Caput mundi, altera Lubeca, corona & decus Germaniae non abs re dicerentur, ceu ex LENICERO refert SIBRANDUS. *Iur. Publ. Lub. p. 334.* Inclauit etiam tanquam Caput Foederis Hanseatici, l. *Herm. CONRING de urbibus Germanicis §. 98 f.*, & Archivi eiusdem Tutelaris. Merito igitur a Iuris publici Scriptoribus antiquis quatuor primariis Imperii Civitatibus fuit annumerata v. WERDENHAGEN *de Rebuspublicis Hanseaticis P. I. p. 18.* SIBR. *l. c. sect. 2. n. 417.* Cultissima enim & haud vulgari Status Ratione nunquam non est usa. Hinc etiam gloriam celsitudinis & praerogativae, quam a primis principibus ambiit, successive feliciter obtinuit.

II. Quaeenam forma Regiminis aptior sit ad consequendum atque conservandum Reipublicae florem, non lubet indagare. Problema est, de quo in utramque partem potest disputari, SIBR. *in cent. I. differ. Iur. Lib. & civ. n. 5. & 6. ex verbis Lib. I. Tit. I. art. 2: Was ein Rath statuiryt, varias facit*

facit conclusiones pro forma Reipublicae Aristocratica, quae hodie diiudicari debent ex Receptu a. 1669 inter Senatum atque Cives inito. Toto in orbe tot & tantae mixturae apparent, ut vix una vel altera Respublica detur, cuius forma ad unam ex tribus classibus, ab Aristotele constitutis, possit redigi. Nobis hic sufficit, quod extra controversiam est positum, Lubecam esse Civitatem Imperialem primae magnitudinis, exercitio Regalium omnium gaudentem.

III. Inter Regalia cum primis occurrit Ius ferendi leges civiles, quod quomodo Lubecae ad usum vocari possit & debeat, docent Receptus de a. 1665, & 1669. Hinc etiam Statuta Lubecensia hodie ibi valent tanquam leges *1. Inclusivissimus* DN. D. ENGELBRECHT, *de eo, quod est superioritatis territorialis in Iure Lubecensi Cap. II. §. 2*; ubi harum & Statutorum proprie sic dictorum discrimen accurate definit. Qua de causa etiam in inscriptione potius Iuris, quam Statutorum vocem adhibuimus.

IV. Quamquam historia Lubecana non sit nostri thematis; historia tamen Iuris Lubecensis omnino eatenus nostram ingreditur sphaeram, ut videamus, qua Ratione Status commoveri potuerint Patres conscripti, ut nonnulla Iuris peregrini capita Civitate donarent. Obveniunt inter tradita de historia Iurium quorumvis talia, quae ulterius & acutius perpendi mererentur. Sola enim analogia & similitudo diversorum Iurium in certis articulis non potest argvere receptionem, neque omnis imitatio extraneae Reipublicae illam involvit. Maiores quippe, verbi causa Lubecenses, sibi & Civitati famam commerciorum florem, & auctoritatem singularem comparaturi, ut viri sapientissimi & prudentissimi, etiam sine aliorum Iurium ope potuerunt incidere in leges vulgo dictas receptitias. Mercatura tamen cum reliquis Rebus publicis, & adventus virorum alibi Patriam habentium habitandi causa factus, occasionem omnino

mnino dare potuerunt augendi speciales statutorum articulos. In primis quoniam omnis receptio extranei Iuris, si ea, quae de Graeci ad Romanos translatione circumferuntur, exceperis, fieri solet non uno actu sed pedetentim.

V. Cum primis de origine & fontibus Iuris Lubecensis, variae sunt coniecturae, quarum notitia peti potest uberior ex scriptis Westphalio - Nettelbladtianis. Sufatum vulgo pro huius matre venditatur. Iam vero citatus *Illustris DN. NETTELBLADT, in disputatione sua, exhibente novam de fontibus Iuris Lubecensis coniecturam, §. IX. Cap. II. ex diversissima Status Ratione Civitatis in terra fitae continentis & emporicae atque maritimae argumentum contra Sufatum duxit, quippe quae urbs, iudice ARPIO, in feriis aestivalibus in Cap. III. §. XCII. ignorabat hyperboreos advenas; civitas campestris, in media regione sita, quae nec proram, nec puppim navium unquam viderat. Saxonum colonia, mercibus destituta, cuius civibus nec timor, nec cupido leves somnos auferebat, ut Lubecensibus. Cuius tamen coniectura cum non impetraret calculum beatorum Triumvirorum celeberrimorum C. G. HOFFMANNI, J. pr. de Iuris Lubec. antiquo quodam Codice, HEINECCII, v. historia Iuris Civilis Romano-Germanici, L. II. ad §. 8. & HELVIGII, de Iuris Lubec. non usu in Civitatibus Pomeraniae, §. 8. in programme ad diss. inaug. Carnazii, de portione coniugum statutaria Lubecensi, contra omnes & singulos coniecturam suam modeste vindicavit, vel, si mavis, vindicare studuit: Arbitros enim hac in causa agere nolumus, qui de Ratione Status Iuris Lubecensis agentes, quaestionem de origine non plane praetermittere volumus.*

### ASSERTIO XIII.

Reipublicae interest, florere commercia.

II. Commercium ideo non sine sale dicuntur animae Rerumpubli-

blicarum. SIBR. *Iur. publ. Lub. Sect. 2. n. 21.* in illis etiam Liberarum Imperii Civitatum characterem quaerit ponitque, propterea quod minus floreat eadem sine promotrice libertate. *Huius enim, scribit, iucunditate demulcemur omnes, & perpaucos invenias veros ac opulentos mercatores civitates dura servitute pressas inhabitare.* In primis Rationem Status primariam Civitatum Hanseaticarum semper fuisse mercaturam, satis perspicitur ex Werdenhagenii opere famigeratissimo de *Rebus publicis Hanseaticis*, quod prima vice Lugduni Batavorum fuit impressum a. 1631 in 12, quatuor tantum partibus constans, recusum vero & duabus partibus auctum Francof. 1641 in folio.

II. Ad mercaturam in Civitatibus promovendam peculiari iniri solent societates, quae Collegia Mercatorum dicuntur, quae tamen propter singularem commercii libertatem nec ubique nec indistincte iure gaudent prohibendi. Lubecae cum primis varia eiusmodi vigent Collegia. v. *Dn. Licent. SIEMERS de Collegiis Mercatorum § 25, (c) c. BOECLERI, diss. de civitate maritima, cap. VI.*

III. Leges etiam in illis valent scopo inservientes obtinendo, ad quas non solum pertinent statuta Lubecensia plurima, sed etiam Ordinatio maritima Civitatum Hanseaticarum, *der Hansestädte Schiffsordnung, Seegerichtsordnung, Mandat wieder die muhrwilligen Faliten, cet.* In quibus quod ad commerciorum Florem omnia collineent, de illis scriptores & commentatores nobiscum profitentur omnes, *ex gr. MEVIUS, KURICKE, LANGENBECK, LOCCENIUS, STYPMANNUS, LANGE,* reliqui.

III. Superius ad assertionem IX iam fuit indicatum, Ius Patrum adversus rigidos censes optime posse vindicari argumentis pro illo a flore, quem auget, commerciorum petitis. Notatu etiam est dignissimum, quod inter alia

C

DN.

DN. NETTELBLADT coniecturam suam de fontibus Iuris Lubecensis in eo fundet, quod gentes boreales magis velificaverint commerciis, quam ulla alia. Certe constat, Ius nauticum Wisbyense receptum etiam esse in Regno Angliae. Romanorum enim Ius non adeo favore commerciis putatur quamvis receptio Iuris Rhodiorum sapiat prudentiam haud vulgarem. Conf. a RHE- DEN *diff. de Statutis Bremensibus ad mercaturam compositis*, qui §. 16. ita *ultra consequitur*, *urbes illas, quae pro fine habent commercia, indeque & Patriam nostram in rebus ad mercaturam pertinentibus parum praesidii invenire in Iure Romano, eiusque subtilitatibus.*

V. Quanta vero Lubecensibus civibus in mercatura competat praerogativa, quis ignorat. Evolvatur ex. gr. Libr. III. tit. 6, ex quo peregrinus bona mercesve suas in urbem translatas nemini, nisi civibus vendere debet, & in Civitate cum illis commercandi libertas ad solos cives restringitur. Nonnullis etiam in Civitatibus maritimis sancitum est, quod nemo Civium aliena pecunia, ex contractu mandati, & hinc alterius nomine & commodo frumenta, lanam, aut similes res in gratiam peregrinorum debeat comparare. Dubitat b. GERDES *diff. Iur. Lub. & comm. n. 93.* an eiusmodi prohibitio expediat civitati, putans, libertatem facere ad cives locupletandos. Nos temperamentum pro ratione ubertatis & penuriae Magistratui relinquimus.

VI. Commercii enim rationem habere debent, & solent Legislatores saepe plane diverso modo, prout illud maximum afferre potest commodum vel situs locorum permittit. ceterae Aliae nationes ex importatione mercium exoticarum quantum faciunt; aliae illam plane prohibent: Problemata etiam haud raro occurrunt, ex. gr. articulus de bodmeria, qui commercia videtur adjuvare, abrogatus fuit aliquando. V. HELWIG. *de non-usu Iur. Lub. in Civitas. Pomer. p. 11. f.*

VII. Neque tantum viris, sed mulieribus etiam integrum est mercaturam exercere. Iura igitur, quibus eum in finem fruuntur, huc referre, quis ambigeret? Vid. autem ea uberius explicata in disp. *Clarissimi DN. Licent. TONNAGELII, sub meo DN. PRÆSIDE habita, de femina mercatrice, in primis secundum Ius Lubecense considerata.*

VIII. Communio bonorum inter Coniuges Lubecae introducta plurimum facit ad mercaturam amplificandam. De qua tamen specialia iura & litigia si rimari vellemus, specialia deberemus disputationes scribere, vel exscribere. Extat enim iam par dissertationum eruditissimarum. *Alter a nempe a Consultissimo DN. D. SCHUMACHERO, Praeside VOGTIO Kilonii anno 1722. ventilata est de communiione bonorum inter coniuges eiusque effectu, praesertim secundum Iura Lubecensia; altera vero a pie iam defuncto D. ZERRAN de communiione bonorum coniugali secundum Ius Lubecense considerata Giessa anno 1731.* Neque improbanda videntur Statuta, quae uxorum illata & stante matrimonio acquisita bona pro aere alieno mariti obligata tenent *v. Stat. Hamburg. P. II. T. 5.* Fundamentum enim illorum esse salutem publicam & mercaturae promotionem existimo cum FULLENIO *de obligatione uxoris ob aes alienum mariti p. 19. Add. diss. noviss. celeb. DN. D. ENGELBRECHTEN de mutuo coniugum concursu ad solvendum aes alienum, qui docet ubique, quam multum promoveatur Reipublicae utilitas per communiionem bonorum, & latissime eandem etiam ad aes ante coniugium conflatum extendit § 18.*

VIII. Portionem coniugum statutariam Lubecensem ex art. 12. tit. 2. Part. II. debitam ex communiione bonorum communiter quidem deducunt ICTI, ex Illustribus tamen BOEHMERI sententia in *diss. de prudentia legislativa Iuris Lubecensis p. 5.* minus congrue; cum ex iure societatis minime fluat, quod alter fociorum, soluta societate per mortem, nam

aliquam partem ex haereditate defuncti focii lucretur: nam etiam, pergit, de Iure Lubecensi uxore mortua maritus nil, nisi dimidiam dotis partem restituit, communitio vero bonorum exigit, ut, soluta societate, tota massa aequaliter dividatur. Proinde haec dispositio potius ex politico quodam fundamento originem traxisse videtur, quia facit ad utilitatem civitatis mercatoriae conservandam. Quamplurimi infitores, exigui admodum patrimonii, uxores ducunt filias divites exercitorum suorum, quarum dote ipsi mercaturam etiam in regionibus transmarinis exercere incipiunt. Si itaque uxores brevi morentur, & sic integra dos a superstitibus maritis solvenda esset, ad coeptam mercaturam prosequendam non sufficeret eorum patrimonium, cum tamen salva negotiatione dimidiam partem restituere, & sic facillime fidem apud alios mercatores quaesitam conservare valent.

#### ASSERTIO XIII.

Reipublicae interest, apud externos ob fidem civium bene audire.

Nexum habet haec assertio cum praecedenti artissimum. Quomodo enim sine fide civium flos commerciorum possit obtineri, atque conservari? Non autem hic opus est uberiori eius probatione & explicatione. Utramque DN. PRAESES in dissertatione de praestantia Iuris Lubecensis circa fidem civium augendam anno 1734. suscepit, Respondente DN. Henrico NETTELBLADT, nunc Iuris Doctore celeberrimo.

#### ASSERTIO XV.

Reipublicae interest, gloriam promptissimae, minusque suspectae administrationis iustitiae latissime spargi.



I. In magnum enim incurrunt odium regiones & Respublicae, quae ordine processus difficilioris & protractione iustitiae apud omnes male audiunt. Fama iustitiae, a Senatu Lubecensi administrari solitae, dudum omnem implevit Europam, praesertim Germaniam. Egregium huius rei documentum praebet diploma, a DN. GLAFEY exhibitum in *anecdotis*, S. R. I. *historiam eius publicion illustrantibus*, n. CCCCXCIII, in quo Imperator Carolus IV. iam illi a. 1361. mandavit, ut nomine & auctoritate Imperiali controversiam inter civitatem Eimbecensem & Ludolfum de Bruck ab una, & Wernherum Rothen, Civem Gottingensem, ab altera parte componat. Dignum videtur, quod hic inseratur: Wir Karl cet. embieten den Burgermeistern, und dem Räte zu Lübeck, unsern und des Reichs lieben Getreuen unser Hult cet. Soliche Ezweyunge und Ansprache, als twischen unsern lieben Getreuen dem Räte und der Stat von Eimbecke, und besonder Ludolf von der Bruck an eym Teyl, und Wernher Rothen, Burger zu Göttingen am dem andern Theil sein, dieselben Sache seint wir zu diesen Ezeiten, von mercklicher Unmuth des heiligen Reichs, nicht mügen darzu vorstan, und auf die Meynunge, daz wir Zuversicht steter Treue zu uch haben, so entphelen wir uch, mit rechter Wisse, dieselbe Sache, Ezweyunge und Ansprache in des heyligen Reichs Recht zu verhdren, die Parteye vor uch ze heyschen, und recht Urteyl, nach Gewohnheit des Reichs recht ze vinten, ze teylen, und ze sprechen von unser und des Reichs wegen, ob ir die vorgenanten Parteyen nymagent in Fruntlichkeit berichten. Und gebieten darüm vestgleich bey unsern und des Reichs Hulden, den vorgenanten, dem Räte und der Stat von Eimbecke, Ludolf von der Bruck und Wernhern Rothen, daz sie vor uch an unser und des Reichs Stat, und vor Nymant anders fullen in dyesen vorgeschriben Sachen, Ezweyunge und Ansprache zu recht spayn, und des Rechten gehorsam seyn, als ihr daz mit Ur-

teyl, bindet, teylet und erkennet. Mit Urkund cet. Geben zu Nürnberg Anno LXL. v. etiam diploma sub n. CCCC XCV.

- II. Iudicium illud summarium in gratiam Exterorum Lubecae adornatum & excultum, gloriam haud infimam parit. v. die Gastgerichtsordnung. Formam eiusmodi iudicii etiam sifit die Hofstoecker Gerichtsordnung de a. 1586. P. II. t. II, cujus occasione hanc materiam pertractavit Clariff. Dn. D. Carolus Henricus MOELLER. in *diff. hinc in vulgus edita a. 1733. de iudicio summario peregrinorum.*
- III. Promtissimae administrationis iustitiae in Statutis Lubecensibus ubiqve occurrunt vestigia. Sic v. gr. Libr. II. Tit. 3. de bonis Reipublicae art. 3. ist er ein unberüchtigter Mann, so mag er sich des entledigen mit seinem Eyde, hoc est, potest se offerre ad iurandum non admitta probatione. Unde tres viae erunt statuendae: una contra einen berüchtigten Mann, contra quem probationes admittuntur, quae tamen soepe desinent cum delatione purgatorii, & duae contra einen unberüchtigten, qui vel ad iuramentum provocat, vel simpliciter se innocentem dicit, poscitqve probationes haud suspectas. Quod enim haec ultima via ipsi sit aperta, elicitur merito ex verbis: so mag er sich &c. In genere in materia Iuramentorum Ius Lubecense sua habet singularia. Offerre se potest civis ad iurandum ex Libr. V. Tit. 8. art. I. contra Iuris civilis dispositionem v. l. 3. ff. de iureiurando. Dicitur hoc esse de reliquiis vetustissimorum, apud Germanos morum, qui nullam diffidentiam in viri cordati iurata posuerunt asseritione propter serios effectus, etiam extraiudiciales, si quis falsa dixerit. Num vero textus illi de suspitione de fraudationis teloniorum, & alia removenda, speciale iuramentum purgatorium pro obiecto habeant, an vero de iuramento civico sint accipiendi, daß nemlich es genug gewesen, wenn er solches bey seinem Eyde, i. e. Bürger Eyde versichert,

schert, quaerere magis, quam determinare placet. Verosimile videtur. Occurrunt enim casus, ex. gr., qua tutelae suscipiendas, ubi sub sola remissione ad iuramentum civicum omnia fidei committuntur.

### ASSERTIO XVI.

Reipublicae interest, auctoritate apud alios inclarescere, eandemque conservare-

1. Reipublicae Lubecensis auctoritas in primis Legibus est conciliata, conservata & adaueta. Eleganter enim iudicat CONRING. *de orig. Iuris Germanici*, c. 28. quod ab illa, veluti ab Athenis leges fuerint petitae, expetitae. Add. GRYPHIANDER, de Weichbildis Saxonis Cap. 80. de Iuris Weichbildici & Lubecani differentia, ubi n. 16. fita: magno Iuris Lubecensis auctoritas esse coepit apud vicinas Civitates maritimas & hanseaticas, a quibus etiam maximam partem receptum est: saltem Iuris Lubecensis receptio in aliis urbibus, Livoniae, Borussiae, Holfatiae, Pomeraniae & Megapoleos argumentum est auctoritatis, quamvis inde in Recipientes nulla fluat superioritas. Ipse tamen Magnus Senatus non solum in principio statutorum, in formam artis redactorum, eius receptionis fecit mentionem: Das Lübsche Recht erstrecket sich in unser Stadt und in den Städten da Lübsch Recht gebraucht wird, so ferne als unser und ihr Weichbild, Feldmarck, und Landwehr reicht, sed antiquitus iam de Civitatibus recipientibus disposuit. v. KOLLIVS. n. 216. Wert in Steden, dar unse Recht is, gefunden ein Verdel, deme dat nicht behaget, de schelde dat vor den Rade. Wert yd eme so gefunden vor dem Rade dat ydt eme nicht recht düncket, so mag he dat vortschelden vor unser Rade. Respicit ad appellationes versus Lubecam olim frequentissimas, & qua hoc Rostochium adhuc permittas, de

de quibus etiam in ipso Iure Lubecensi dispositio invenitur Libr. V. Tit. 10. *Leg. Consultissimi Dn. Doctoris TADDEL, Senatoris Roslochiensis meritisissimi, disputatio, de appellatione ad patrem. Cl. Dn. BOEHMER, de provocationibus Iuris Germanici p. 57. sq.*

II. Quae de gradibus prohibitis, qua officia publica, & causas forenses Iure Lubecensi fancita sunt, Libr., Tit. 1. ad idem hoc tendunt. Iudicis enim munus adeo nobile est, ut omnes sordes procul abesse debeant. Sint omnes personae publicae solidae & venerabiles discentesque legem illustrem: *Observandum cet. 19. ff. de off. Praesid.* Ius Sufatense, quod nostri matrem reputant, curiose describit auctoritatis conservationem: *Der Richter soll sitzen auf dem Richterstuhl, als ein griechgrimmender Löwe, und soll den rechten Fuß schlagen über den linken. v. B. HEINECC. Praef. ad Tomum 1. Elem. Iur. Ger. p. 30.*

III. Maxime auctoritas Magistratus conservatur per laudem abstinentiae a donis & per gloriam silentii. Iure Lubecensi Libr. 1. Tit. 1. art. 4. obligantur etiam omnia Amplissimi Senatus membra ad iuramenta, tempore translationis officiorum ambulatoriorum praestanda, quod illis virtutibus velint incumbere. In opere Kolliano tenor antiqui Statuti se ita habet art. von Gabe der Rachtmänner: *dat schall ein ydlich begrypen mit synen Eyde. Addit tamen: Erer nicht euer moht mehr nehmen, als ein Stöckken Wynes. B. SIBR. etiam l. c. sect. 17. art. 4. de eieratione corruptionis agens n. 11. scribit: eine Gans, Huhn, Essen, Fisch, Wildpret, und dergleichen Schnabelweyde zu nehmen, ist dem Richter unverbotten. Verum, si dicendum, quod res est, tales exceptiones, limitationes & dicta privilegia, rectius ad usum non vocantur. Provocat quidem SIBR. ad l. 18. ff. de off. praef. in qua de xeniis permissis agitur, sed historica docet interpretatio, quod adventantibus in novam*

vam Provinciam Præfidibus, quorum culina non erat bene instructa, licuerit accipere esculenta quaedam ab iis, qui nullam in lite habebant causam.

III. Qua silentium, maximum personæ publicæ decus est, inclarescere a virtute taciturnitatis. SIBR. tamen queritur sequentem in modum *l. c. sect. 14. n. 78.* Vix ullum reperies publicorum & privatorum, ecclesiasticorum & laicorum Collegiorum, quod non linguis, secreta propalantibus, abundet. Ius Susatense si adhuc valeret, male cum garrulis eiusmodi ageretur. Namque in eum, qui quicquam, quod in iudicio gestum, enunciarit, hæc poena statuitur acerbissima: es sollen ihn der Frey = Greve, und die Scheffen angreiffen, und verfolgen und binden ihm seine Hände zusammen, und ihn auf seinen Buck werpen, und winden ihm seine Zungen zum Nacken hinaus, und stecken dar einen Pinn vor, und doim ihm dann einen Strick an den Hals, und hangen ihn an einen Baum, als man sünst einen armen Sünder pflegt zu hencken. v. HEINECC. *l. c.*

V. Insigne auctoritatis specimen in eo quaerendum esset, quod nulla Iurisdictionis prorogatio locum inveniat, si modo res esset extra controversiam v. CAROCCII Einleitung zur Historie des Lübschen Rechte, p. 58. In puncto Iurisdictionis ist unter andern Controversiis Iuris Lubecensis eine der wichtigsten: ob eine verglichene (conventionalis) prorogatio Iurisdictionis insonderheit in denen mit Lübschen Recht bewidmeten Städten Stat finde nach dem 4ten Art. Tit. 3. Libr. 5., qui ex observantia eam vult dirimi. Nos pariter praxi relinquimus speciali, id addentes, si duo magistratus in una urbe sunt, multum derogari opinioni administrationis iustitiæ, si prorogationes valent voluntariæ, vnde recte contra easdem pronuntiandum. c. GERD. *differt. Lub. & Rom. n. 4. VI.* Ad auctoritatem confer-

D

van-

vandam facit in primis ordinatio Libr. 1, Tit. 1 art. 13. quod nemo ex Senatu, in lite coram eo pendente, possit esse advocatus, nec non descriptio qualitatis in Senatum cooptandorum, ib. art. 1. de quo I. *Dn. D. SEYMSE* Abhandlung der Lübschen Rechte 1 Theil p. 25. f. pariter ac in Recessu de anno 1669, ex quo non tantum eximiis animi dotibus, sed fortunæ quoque bonis debent esse instructi.

VII. Eandem auget poena in Senatum referri nolentium *l. c. art. 6.* Volunt enim Viros eligere, qui nulla spe lucri vel quaestus, ex officio, incitantur. Possent videri falsa Ratio Status, non dare lautissima salaria, quia sic facile corruptionibus dari potest occasio: sed de avaris notum etiam est illud: quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

VIII. Huc pertinet Libr. 2. Tit. 3. art. 4, ex quo scilicet Magnatibus de bonis Civitatis nihil mutuo dandum neque fideiussiones pro illis subeundae *c. omnino Dn. SEYMSE ENNAGEE, Memorab. Stat. Lub. & Hamb. p. 58.* refutans erroneam Heringii opinionem, quod Civitas Iure Lubecensi utens pecuniam aliis plane non dare possit mutuam, neque pro illis fideiubere cet.

VIII. Lubeca dudum inclaruit gloria bonae, quae ibi cuditur, monetae. Si ergo haec vere dicitur character optimae Reipublicae, sane id honori sibi ducere potest praestantissimas monetas in his oris exprimi per *Marcus Lübsch, Lübsche Schilling*, id quod testantur innumera chirographa.

### ASSERTIO XVII.

Reipublicae interst, modos, contribuentium faciliores introducere, inque illis non variare.

L. Ner

- I. Nervus rerum gerendarum ne deficiat, opus est collectis & variis contribuendi modis. Pleni sunt omnia Politico- rum commentarii consiliorum. I. KLOCK. *de contributionibus, in primis Cap. XVII de aerario* cum multis aliis, speciatim etiam LYNCKERVS *de catastro*. Ex Ratione Status introducendi sunt modi successivi, & hinc non adeo sensibiles, cum primis vero tales, quibus commercantes & peregrini ita obligantur, ut pariter aliquid conferant.
- II. Lubecae unicus modus statutarius deprehenditur, quem dicunt *Echsh*, & qui eius rationem habent, die *Echsh* *Herrn* appellantur. Concordat idem cum veterum Romanorum censu. In censum redacti, & iuxta aestimum five catastro tribuentes, non habent, de quo conquerantur. Belle igitur MEVIUS *ad Lib. II. Tit. 3. art. n. II. s. modus hic aequissimus habetur, dum aequalitatem inter cives servat, nec unum magis, quam alium gravat, simili provisione divites & pauperes suscipit, nec ad horum suppressionem, illorum vero relevationem, tendit. Nam qui plus habet, plus solvit, minus possidens minus infert.* Stat Politicis sanioribus sententia, eum tanquam publicarum fortunarum & Civitatis certissimum firmamentum in Rempublicam reducendum esse. Quanta pars quovis tempore sit solvenda, moribus & sapientiae Patriae Patrum erit committendum. Difficultates, ad quas respicit Mevius, nullae aliae sunt, quam indagatio facultatum cuiusvis civis; Alii enim ex avaritia, alii ex ambitione mentiuntur, imo peierant. Alii haesitant, quantum de suis facultatibus, ob pretia rerum vaga, vel bonitatem nominum, sperare vel sentire debeant. Verum, si & in hoc passu omnia committuntur conscientiae, res est expeditissima. Habetur in Civitatibus nonnullis Ordinatio quaedam, quam vocant, die *Zulagsordnung*, Admiranda omnino est in illa prudentia, qua ratione nimirum per insensibiles modos coacervatur pecunia publica. Praesertim respiciuntur, qui de lucro captando certant,

& elegantissimum est exemplum, quod & haeredes, heic loci, collaterales, teneantur aliquid ad publicos usus expromere.

- III. Quanta utilitas publica emergat ex exercitio Iuris detractus, sive exigendi census emigrationis, qui, iudice MEVIO ad art. 4. Tit. 2. Lib. 2. in redemptum defensionis & tributorum pensationem merito & iusta ratione solvitur, non est, cur multis commemorem, propterea quod illa ex antecedentibus colligi potest. Praeterea impedit, quominus homines opibus instructi aliorum commigrare in animam inducant. Quantitas vero regulariter est pars decima bonorum exportandorum: variat autem, etiam ex conventionem cum vicinis. Illustre exemplum praebet Publicatum Regio-Electorale de dato Hannover den 21. April 1734, quod class. 2. & 3. Mecklenburgum, Lubeam & Hamburgum exprefit.

### ASSERTIO XVIII.

Reipublicae interest, certa esse rerum dominia, & litigandi non solum occasionem, sed prurium etiam removeri.

- I. Praescriptiones Iuris Lubecensis ubique arguunt favorem publicum singularem, v. disput., quam Praefide b. HEINEC-CIO habuit DN. Licent. BÜRGE SOHN, de Praescriptione annuali Iuris Lubecensis, a Iure communi diversa: ex cuius §. 6. intelligi potest, cur in primis in Emporiis contractiora sint praescriptionum tempora. Nam sententia, eas etiam Civitates, quae terra marique negotiantur, ita plerumque legibus temperare praescriptionem, ne illa huic fini suo retrahatur, ac eam proinde brevi admodum temporis spatio circumscribere proposita, & Hertii potissimum testimonii confirmata, rectissime ita iudicatur: *Non subsisterent*



starent profecto inter homines commercia, nisi huius generis legibus ac institutis consuleretur. Quis enim cum aliis contrahere, vel ab iis contractu quodam oneroso sibi quidquam comparare vellet, si nonnisi post longum tempus tuta ac immota foret possessio? Quis in incerto evictionis promisso spem aliquam, ac fiduciam poneret? Et quam lubrica demum mercatorum futura esset conditio, si ita comparatae essent leges, ut, quavis adhibita cautione, nihil emere possis, quin periculum sit, ne contractus post aliquot annos rescindatur, remque amisso pretio alii reddere cogaris? Adde, quod flori commerciorum minime omnium convenient litium ambages, nihilque magis incommodum sit mercatoribus, quam si plus boni temporis in foro, quam in tabernis suis, consumere cogantur. Id quod tamen nulla animi perspicacia caveas, nisi id agant legislatores, ut rerum dominia quam citissime certa sint, & litigandi occasio omnis iis, qui non in tempore vigilarunt praescindatur. In sequentibus fusius docetur, Lubecae in primis ideo valere praescriptionem annalem, & statuta de illa condita illustrantur. Quare nos ab illorum indagazione sumus liberati. Quid sit annus & dies §. 8. disquiritur. Nos tamen illis subscribere non possumus, qui diem naturalem intelligunt. Locutio enim Germanica id non patitur, & quod ad rationem: dies termini non computatur in terminum, prorsus ceu longe petita non arridet. Quod vero & actio hypothecaria illo brevi termino extinguatur, ex iudicatis constat. Add. KOLLIUS, qui n. III. ita scribit: Weil in diesem Urtickel von Jahr und Tag geredet: solten auch allhie wissen, das Jahr und Tag sey, sechs Wochen und ein Jahr. Landr. L. I. art. 38.

- II. Ex sat multis, ad hanc assertionem referendis, placet unicum adicere, nimirum de poena temere litigantium, sancitum, in art. un. tit. II. Libr. Ius commune Romanum praeter expensarum restitutionem imponebat pecuniariam,

niariam, publicam & infamiam; sed obsolevit haec dispositio, quae posteriores animadversiones. Ius Lubecense autem serio voluit, ut, praeter condemnationem in expensas, alia insuper maneat incommoda eos, qui frivolas lites Civi movent Lubecensi.

- III. Volvantur prudentissimae leges nauticae, in primis die *Seegerichtsordnung*, & ubique apparebit, quod hoc nostrum Ius urgeat iustitiae administrationem promptissimam, & odium prodat maximum in illos, qui litibus vanis alios lacerant.

### ASSERTIO XIX.

Reipublicae interest, singularem laudem  
Iurisprudentiae criminalis habere.

- I. Quamcumque inspexeris nomothesium Iuris Lubecensis de criminibus, eorumque poenis, ubique observabis feriam, prudentem, severamque dispositionem. Ferias nobis fecit, qua hunc passum, *celeberrimus Ictus Lipsiensis Dn. DINCKLER*, & cum eo *Consult. Dn. PFORTHUSEN* in *Specimine differentiarum Iuris Communis & Lubecensis criminalis*, ex quo lubet excerpere verba, rigorem quarundam poenarum ex singulari Ratione status huius Reipublicae, speciatim qua Nautas, Aurigas & Tabellarios, qui ut fures plectantur L. III. tit. I. art. deducuntur p. 15. *Commendat se haec Iuris patrii dispositio a sua aequitate & prudentia. Si attendatur ad Reipublicae Lubecensis rationes, floridulo nexu iunctum esse nemo temere negabit. Interest ergo Reipublicae, ut acerbioribus remediis obviam eatur conatibus horum, qui Patriae charissimae salutem hac ex parte destruere sibi non ducunt religioni. Cum itaque commercia exoptato uti nequeant successu, nisi adhibeatur Nautarum, tabellariorum & aurigarum ministerium, merito in eo Iuris Lubecensis collocatur opera,*  
quo

quo ab hisce hominibus perfidiae nota sit aliena: nec ratio solida apparet, cur mitius, cum iis, ac eum reliquis furibus sit procedendum. cet.

- II. B. Dn. GERDES in soepe citatis differentiis varia etiam adducit, ex gr. *diff.* 118. processum severum adversus viarum obsessores; *diff.* 131. prudentiam, qua denunciations hominidii perpetrati; *diff.* 141. rigorem contra turbatores quietis & tranquillitatis nocturnae; *diff.* 145. saluberrimam ordinationem de relegatis ex uno loco, ubicunque pro relegatis habendis. cet.

ASSERTIO XX.

Reipublicae interest, splendorem familiarum conservari.

- I. In iure divino forensi etiam leges occurrunt, ad conservationem atque florem familiarum comparatae v. Num. XXVII, 7. f. & XXXVI, quas inter primum occupat locum, ne quis uxorem nisi e tribu sua ducat. Potuit tamen illa etiam intendere, ne tribus confunderentur, e quarum una Orbi Salvator erat promissus.
- II. Quanta cura in hoc a Romanis olim fuerit collocata, testatur vel unica Iuris Romani materia de successione ab intestato, & conclusiones ex distinctione inter agnatos & cognatos.
- III. De iure Lubecensi omne fert ad hunc scopum punctum dispositio de bonis haereditariis Libr. 1. tit. 10. art. 6. Dn. BOEHMER. *diff. cit. p. 7.* Ratio, inquit, politica cui originem haec lex debet, satis perspicua est. Interest enim Reipublicae, ne familiae per luxuriam opibus destituantur, ideoque successores, inopia coacti, a matrimoniis abstineant. Prudenter itaque cit. art. libertas naturalis disponendi de rebus suis ita limitata est, ut vix dominium plenum in haec bona haereditaria superesse

*peresse videatur.* Huc quadrant verba LYDWELLI, *de success. Iur. Lub. §. 19.* Ratio statuti esse videtur, ut in familiis bona maneat, illarumque dignitas & splendor conservetur. Repetit etiam illud ex l. 22. de administr. tut. de non temere alienanda domo, in qua defecit Pater, minor crevit, in qua maiorum imagines aut non videre fixas, aut revulsa videre lugubre est c. GERDES. diff. 36.

III. Limites autem bonorum haereditariorum indagare, & controversias, desuper formari solitas, dirimere, excedit hoc institutum. Pertractarunt etiam alii hanc materiam, in primis PETERS in diff. de alienatione bonorum haereditariorum Lugd. Batav. habita 1693. Satis est, quod omnis de illa sanctio eo tendat, ut res familiaris Civium gliscat. Non enim vult, Cives vivere luxuriose, nec tamen fordide. Ad alia progredemur principia, Rationem Status Iuris Lubecensis comprobantia, nisi ex adductis fati superque perspici & colligi posset, ea virtute & sapientia, ut cum Cicerone loquar, *Maiores nostros fuisse, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutem atque utilitatem Reipublicae proponerent.* Merito igitur illis magna ex parte adscribimus felicitatem, qua olim fruebatur, & hodie, DEO annuente, fruitur Respublica Lubecensis. Speramus etiam, nihilque magis optamus, quam ut in posterum Lubeca stet, floreat, vigeat, neque prius huius Urbis, quam totius Orbis adveniat

F I N I S.







ULB Halle

003 856 674




3









B.I.G.

Farbkarte #13

17

Q. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA;  
DE

RATIONE STATUS  
IURIS LVBECENSIS, 1742.3

QVAM,  
AVSPICIIS SUPREMI NVMINIS,  
ET  
CONSENSV ILLUSTRIS ICTORVM ORDINIS,  
IN CELEBERRIMA IVXTA VARNVM ACADEMIA;  
PRÆSIDE

DN. ERN. IO. FRID. ~~Seangel~~

PHILOS. ET IUR. DOCT. ET PROF. ORD. ATQVE  
AD H. A. DECANO,  
FAVTORE SVO IN PRIMIS COLENDO,

PRO LICENTIA,  
SUMMOS IN VTROVQVE IVRE HONORES

CONSEQVENDI,  
A. R. S. MDCCLXXXII. DIE XVII. IULII. 1742  
PVBLICE VENTILANDAM PROPONET

M. IOACHIMVS MATTHIAS Gütken,  
LVBECENSIS.

ROSTOCHII,  
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SERENISS. PRINC.  
ET ACAD. TYPOGRAPHI.